



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Avgvstissime Imperator, Et Catholice Rex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)



AVGVSTISSIME IMPERATOR, ET CATHOLICE REX.

POSTEAQUAM factum est, ut Maiestas Vestra communi melioris orbis voto, & suffragio diceretur Imperator, unôque in Capite vastissimorum Regnorum se unirent Coronæ, artes propè singulæ, & docti calami desudabunt, ut ad Augustum gloriæ suæ solium, velut ad Minervæ Aram aliquod industriæ suæ anathema appendant. Neque modum, neque causas cum ijs communes habeo, quibus aut ambitiosa vanitas, aut concepta uoluntas temeritatem ingerit, ut laborum suorum primitias Augustissimo Nomini velint sacras. Utrûmque à Professione meâ alienum est. Ut ad illud solium, quod nuperrimè Maiestas Vestra conscendit, subito affectui liceret adrepere, quibusdam quasi gradibus usus sum; primum laborem Mitræ, alterum inscripsi Purpuræ, ut tam mitra, quàm purpura conducerent me ad diadema. Hos tamen etiam duces, ut ut Maiestatem Vestram quotidiano obsequio circumstent, tremulo adhuc passu subsequeremur, memorque, quis, & ad quod fastigiû contendâ, dubitarem, an ulla unquam hora mihi ita propitia futura sit, quæ simul obsequium meum ad pedes Maiestatis Vestræ sisteret, simul facti audaciam excusaret.

Et sanè nullo sat præsidio defensus sum, nisi elementissimo illo vultu, in quo potior orbis pars quotidie suam relegit felicitatem. Venerabunda adhuc memoria illud momentum repræsentat, quo Maiestatem Vestram ad Tagi ostia velut unicum, pretiosissimûmque Coronæ Hispanicæ unionem fœderata classis exposuit. Nescio, num maior tum nationum Ulyssipone præsentium expectatio, an confusio fuerit, quando diversæ diversarum partium curiositati, simul vultum, simul Regios oculos Maiestas Vestra ita indulsit, ut ij etiam, quos in Coronarum dissidio,

diffidio aut natura, aut privata utilitas minùs fecerat Austriacos, quoniam
amare non poterant, desinerent odisse, Fatisque suis indignarentur,
quòd alienis obsequiis jam mancipēs, si non Vindicem, numquam le-
bituri forent Patrem. Ij porro, quos aut fœdera fecere amicos, aut for-
tuna natalium efformavit in subditos, vultu illo satiari non poterant,
in quem omne suum artificium Maiestas, & amor impendit. Certe
mo eorum, quibus ad Maiestatis Vestræ Sacrarium admissis ultra oc-
ulos, vultumque etiam lingua indulta fuit, aliter ac Regiæ Comitatis, &
Clementiæ præco recessit. Huic felici numero tum etiam me fortuna
immiscuit, simul fiduciam ingessit, passuram aliquando Maiestatem
Vestram Augustissimo Nomine suo exornari librum, cuius auctoriam
antea clementer indulgisset, ad pedes suos Regiæ Regias virtutes adme-
rari. Nec diadema Romani Imperij, quod suo in vertice Coronæ Hilpe-
nicæ superposuit, ab hac me cogitatione semovit, etsi enim vires, potes-
tiam, dignitatemque auxerit, & suo in scepro orbem quasi totum re-
gendum commiserit, factum tamen in animum non induxit. Pleraque
quidem circa Maiestatem Vestram, nihil in ipsa, hoc honoris Solium
immutavit, nisi quòd novam virtuti occasionem obtulerit crescendo et
animi demissione. Nam, cui nihil ad augendum fastigiū superest (Tra-
jano olim dicebat Plinius) is uno modo crescere potest, si se ipsum
submittat, patiaturque populorum suorum obsequia, tenuia licet, &
suamet origine obscura, ab ipsa maiestate mutuare lucem, & capere in-
crementa. Quare Augustissime Imperator, si quisquam erit, qui humiliter
huic obsequio meo audaciæ censuram apposuerit, ipse me Maiestatis
Vestriæ clementissimus vultus, ipsa virtus, quin & ipsa Maiestas ab-
solvet.

Argumentum libri minùs, ac author ipse defensus est. Nulla sui pa-
gina aut Solium, aut quæ Maiestatem circumstant, loquitur; Scholis, &
privatæ animorum tranquillitati, quàm aulis, ac politico mundi guberna-
tio aptior. Non tamen plenè removendus à solio, nisi ab eo, quod vel
Tiberij, vel Nerones occupant, quibus omnem morum, honestatisque
regulam, aut simulandi artes, aut ambitiosus furor præscripsit, ubi nihil
rectæ rationi, totum licuit indomitæ cupiditati. Monarchis, quibus
lumini naturæ sociata fides, Deum vel scelerum vindicem, vel bono-
rum remuneratorem persuasit, quoties compositos cum Numine se me-
minere privatos, respicienda est illa agendorum norma, quæ ultra le-
ges nihil indulget aut potentiæ, aut libertati. Sed apud pium, recteque
cum Numine sentientem Principem inutilis hujus argumenti defen-
sio est.

Illud fortasse numquam satis excusavero, quòd nullà panegyri in
Maiestatis

Maieſtatis Veſtræ Regias, Imperatoriæſque virtutes ſubditus ſe calamus
commendet, dum alieni etiam, aut gratulatorio calamo, aut officiola
linguâ felicem tot Regnorum hæredem ſalutant. Ipſa equidem patria
urbs Mediolanum, quæ ſimul ut Regem ſuum ſuſcepit, ſimul auſpica-
tiſſimo nuntio Imperatorem agnovit, à Cive ſuo propè hoc officium
extorſiſſet, niſi Maieſtati credidiſſem injurium, minùs, ac oporteret,
eſſe facundum. Venerabundum ſilentium tum vel maximè laudi eſt,
quando totum, quod dici poteſt, infra meritum eſt. Illi ipſi Auguſtiſſi-
me Imperator, quos Regio lateri quotidianum ſociavit obſequium, He-
roicarum actionum ſpectatores eſſe ac teſtes, encomiaſtes eſſe non poſ-
ſunt. Habet Maieſtas Veſtra cum Auguſto ſanguine illam pietatem,
elementiam, zelum, religionem, magnanimitatem, ſapientiam, forti-
tudinem, cæterâſque coronatas virtutes congenitas, quæ Auguſtiſſimo
Parenti cælo, & orbe acclamante Magni nomen impoſuere. Sed præter
florantem ætatem, quæ decorem addit, & gratiam, ſecretum novit ara-
tiſcium, quo virtutes ſingulas ſupra ſeipſas attollat, faciatque mirabi-
liores. Octo anni ſunt, quòd deſertâ Patriâ, Aulâ, chariſque omnibus
Se publicæ utilitati devovit, ut hæreditarium Hiſpaniæ ſolum ab uſur-
patione vindicaret. Hoc intra annorum ſpatium, ubi aliquando quæſie-
rit Hiſtoria, quid actum ſit? manifeſtabit orbi veritas, Maieſtatem Ve-
ſtram tantùm ſeciſſe, quantum octo Reges, annosque ſuos ita interſtin-
xiſſe, ut quilibet Regem ſignaret. An aliquod in Europâ mare, cujus flu-
ctus non fuere bajuli ad gloriam? illorum ferocia, & quaſi tacita cum
hoſtibus conſpiratio quid effecit? niſi quòd orbi palàm fecerit, quibus
periculis pro Europæ libertate Regiam perſonam ſuam Maieſtas Veſtra
objecerit, ſimul Regnorum æmulos admonuerit, quàm incaſum de hoc
Adverſario ſperarent triumphos, in quem ipſa elementa, quantumvis
conjurata, nil poſſent. Emenſo Oceano non priùs pedem terræ, quàm
caſtris intulit, & hoſtium ſuorum dumtaxat nomina, non pericula mu-
tavit. Seu aggere circumvallanda præſidia, ſeu prælio decernendum
pro cauſe juſtitiâ, ubique Regia magnanimitas ſe immiſcuit, ut Nodum
Gordium, quem in Coronarum litigio malæ artes implicuere, novus
Alexander enſe ſuo diſcinderet, nihilque caſui, aut fortunæ relinqueret
in Regnorum occupatione. Lauros, quas expugnata Barcino, & caſus
tores, proſtigatûſque in Aragoniâ Æmulus amiſit, ipſa ſibi Maieſtas
impoſuit, nec plus exercitui debuit, quàm quòd Regem ſecutus ſit ad
victoriam ſimul ducem, ſimul commilitonem. Sed hæc bellica magna-
nimitas inter cœtaneos Reges fortasſe exemplo non caret, qui Maie-
ſtatem ſuam numeroſo hærede jam tutam periculofæ belli alex ſub-
miſere, expugnatâſque urbes, aut everſa inimicorum caſtra triumphatores

tores ingressi sunt : Id absque exemplo est , & ultra annalium fidem , quod Maiestati Vestrae sacra, neque hærede adhuc tuta, & Europæ tam necessaria Persona ita pro suorum incolumitate viluerit, ut Barcellonæ muris includi, terrâ, marique ab æmulâ potentiâ obsideri, & quasi captivam detineri voluerit, ut ex Regis sui præsentia propugnatorum cresceret animi, staretque urbs, quæ huic fulcro non nixa, ruitura timeretur. Barcino defensa est, & defensa est Rege propugnatore. Dum illa stabit, æternum gloriæ stabit monumentum, & tacente omni historia posteritatem admonebit : Maiestatem vestram suorum Civium salutem, simul totius Europæ felicitati Se Ipsâ, eo scilicet sacrificio litasse, quo neque augustius Rex, neque maius optimus Princeps dare potuit. Ubi olim in Maiestatis Vestrae effigiem Augusta progenies intuebitur, illas fortasse voces suggeret admiratio, quas de Ferdinando Catholico usurpabat Philippus II. *Hic ille Rex, cui totum debemus*; quamvis incertum sit, an ullis posteris Regibus Maiestatis Vestrae grata possit esse memoria, cum inferiores se semper agnoscent, nisi se ipsos pro populo suorum vitam sacrificarint.

Videt Maiestas Vestra, quàm unius etiam facinoris gloria omnem facundiam excedat. Vota dumtaxat supersunt, ut in quem velut in unicum Vindicem oppressæ libertatis tot Regna respiciunt, pares vicibus annos, & tot Coronarum Hæredi, Hæredes Cælum indulgear, videamusque trophæa inter, & debellatos, fractoque hostes, non solum triumphantem Regem, & Imperatorem, sed etiam numerosâ prole latum Patrem.

Ita vovet

Maiestatis Vestrae minimus Capellanus

Carolus Antonius Casnedi.

BENE